AUTHOR:

LOBECK

TITLE:

INSUNT DISSERATIONES DE SYNECDOCHE...

PLACE:

REGIMONTI Pr.

DATE:

1864

Master Negative #

93-81213-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887 Lobeck, Christian August, 1781-1860.
Z3 Dissertationes de synecdoche, de catachresi, de dissologia e Lobechii scholis nunc primum editae.
Regimonti 1864. Sq. Q. 10 p.
In memory of William I, king of Würtemberg.
No. 10 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Acad. Alb. Regim. 1864. III.

Natalicia
Principis generosissimi

GUILIELMI I.

die XXII Martii anni MDCCCLXIV

pie celebranda

indicunt

Academiae Albertinae

Prorector et Senatus.



Insunt dissertationes de synecdoche, de catachresi, de dissologia e Lobeckii scholis nunc primum editae.

Regimonti Pr.
Typis Academicis Dalkowskianis.
MDCCCLXIV.

De synecdoche.

Ad metonymiam et metaphoram prope accedit synecdoche, quae, ut ait Quintilian. VIII 6, 29, variare sermonem potest ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra.

1) Hujus figurae prima species ea est, quam Graeci (ut schol. Eurip. Med. 4) vocant *ἀπὸ μέρους τὸ πᾶν*, ut *πτερόν* pro avi (Eur. Phoen. 806 Sphingem vocavit *παρθένιον πτερόν*) *κώπη* pro navi (Eur. Iph. T. 116 *μακρὸν ἤλθομεν κώπῃ πόρον* ib. 141 *σὺν κώπᾳ χιλιοναύτᾳ*) *ἄντυξ* pro curru (Callimach. Dian. 141) *ἴτυς* pro scuto, *πρύμνα* pro navis (*ἑξάπρυμνος* qui sex naves ducit Lycophr. 1341) *σφυρόν* pro pede. Nec minus hoc schema apudRomanos celebratur, qui pro navi puppem, pro curru axem et temonem, pro vite palmitem posuerunt, Juvenalis XII 4 vellus pro ovi, squamam pro pisci v. Parall. p. 87, not. Haec et similia si liberiori tantum poetarum sermoni concessa fuere, nonnulla tamen etiam prosa recepit ut *κόρη* pupilla pro *ὀφθαλμός*, *πρόσωπον* et persona pro homine. Hinc non multum distant nomina partium corporis pro hominibus posita, qui vitiis illic sedem habentibus famosi sunt, ut *φάρυγξ* gula venter pro gulone.

Sed etiam totum pro parte ponitur quum animalis vocabulis sola pellis significatur, ut *Ὀμφάλη τὸν λέοντα τοῦ Ἡρακλέους περιβεβλημένη* Lucian. quom. hist. conscr. § 10 (inepte C. F. Hermannus p. 79) *ἀλώπηξ* pro *ἀλωπεκῆ* Koch. ad Tim. p. 214, tigris apud Statium et Claudianum.

2) *ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα*, a materia materiatum, ut *βοῦς ἡ ἀσπίς συνεκδοχικῶς* Schol. Il. VII 238 (*βόες αὖαι*) idem secundum Hesych. etiam pro *μάστιξ* positum est. Poetae celebrarunt *χέλυς* et testudo pro lyra, *ἀλάβαστρος* pro pyxide etiam prosae scriptores. Addam varia exempla partim ex sermone poetico partim ex pedestri petita: *κέραμος* vasculum fictile, *κάστωρ* castoreum, *φακός* pro *φακῆ* quod Atticistae damnant, murex purpura, liber volumen, *ἰτέα* scutum, *ὀξύη μελίη* hasta, *πεύκη* (sicut pinus alnus abies) navis, abies etiam pro hasta et pro epistula (in tabella lignea exarata). Audacius Juvenal. I 155 navem metaleptice taedam dixit, quia utraque ex ligno pineo fabricatur. Huc trahi potest etiam *μέλισσα* pro *μέλι* Soph. O. C. 481. cf. ad Phrynich. p. 187 not. .

3) *ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος τὸ ἡγούμενον* (ab accidente vel succedente antecedens, vel effectum pro efficiente). Huc referunt Od. XII 172 *ἑζόμενοι λεύκαινον ὕδωρ ξεστῇς ἐλάτῃσιν*, quia remigatio aquam spuma candida inducit, cf. Hesych. s. v. *λεύκαινον*. Eadem ratione *κονίειν* pulverem excitare pro *φεύγειν* poni *ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦντος* observat EM. 528, 46. Schol. Od. III 487 (de mulis) *πανημέριοι σεῖον ζυγόν*: *παρεκδοχικῶς ἀντὶ τοῦ ὥδευον ἀπὸ τοῦ παρεπομένου τὸ προηγούμενον*: quamquam non alterum praecedit alterum sequitur, sed utrumque eodem temporis momento fit. Sic etiam Schol. Od. XI 246 *λῦσαι παρθενικήν ζώνην* pro *διαπαρθενεύειν* esse dicit, *τὸ ἀκολουθοῦν ἀπὸ τοῦ προηγουμένου*. Versum Il. XIII 426 *δούπησεν δὲ πεσών* diple notavit Aristarchus, *ὅτι ἐκ τοῦ παρεπομένου τὸ ἀπολέσθαι*; quod de ea morte tantum dici potest, quae fit cadendo et cum strepitu, cf. Lehrs Aristarch. p. 110 sqq. De verbis quae proprie humectare, minus proprie effundere significant, quorum illud consequens est, hoc antecedens, ut *αἷμ᾽ ἔδευσα* Soph. Aj. 346 *τέγγει δάκρυα* Pind. Nem. X 141. v. ad. Aj. l. l. Nonnullae ejusmodi translationes in quotidianum sermonem receptae sunt, ut *καταλύειν* (sc. jumenta) pro devertere, unde *κατάλυμα* deversorium. Verba *συνεκδοχικῶς* pro aliis posita (sive transitiva sunt sive intransitiva) etiam accusativos regere possunt proprie ad illa quorum locum tenent pertinentes, velut *κόπτεσθαι, τίλλεσθαί τινα*, plangere aliquem, ferire, icere foedus, *φιλότητα καὶ ὅρκια τέμνειν*. Quoniam autem herbae et radices medicinae utiles secantur (unde remedia *ἀντίτομα* dicta sunt), Aeschyl. Agam. 16 *ὕπνου ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος* dicere ausus est, i. e. cantu pro somni remedio utens.

4) *ἀπὸ συμβόλου τὸ κύριον*, velut *ὅπλα* pro *ὁπλῖται, πέλτη* pro *πελταστής, ἀσπίς* pro *ἀσπιδοφόρος* cf. Siebelis ad Pausan. VIII 51, 2. Hinc longius progressus Callimach. h. Apoll. 85 milites *ξυστῆρας Ἐνυοῦς* dixit. Theocrit. XV 6 *κρηπῖδες καὶ χλαμυδηφόροι ἄνδρες*, ubi schol. illud pro *ἄνδρες κεκρηπιδωμένοι* positum esse dicit. Consimiliter Juv. XVI 24 caligas offendere pro milites dixit, Martialis trabeae vocabulo ordinem equestrem notavit, Prudentius infulae sacerdotalem Christianum. Fuerunt qui Eurip. Or. 12 *στέμματα* (*Ἀτρεύς — ᾧ στέμματα ξήνασ᾽ ἐπέκλωσεν θεά κτλ*) de diademate regali intellegerent, quo ipsum etiam regem significatum esse (schol.: *ἀπὸ συμβόλου τὸ κύριον*), sed hoc semper *διάδημα* vocatur et *ἀνάδημα*, unde Appian. Bell. civ. II 116 *ἀναδήσασθαι τὴν ἀρχήν*.

2) *ἀπὸ γένους τὸ εἶδος* et viceversa. Phrynich. App. p. 17: *μῆλα οἱ παλαιοί πάντα τὰ τετράποδα*, qua ratione etiam *πρόβατα* usurpatum esse dicitur Anecd. 112; sed utrumque vulgo non dici nisi de ovibus nemo nescit. *θαλλός* potissimum de surculo oleagineo, *κάλυξ* de calycibus rosarum dicitur. Contra etiam *ἀπὸ εἴδους τὸ γενικόν* significatur, ut *μόσχοι* pro *βόες* ponitur, v. schol. Eurip. Bacch. 634. Similiter *σκύλακες* pro *κύνες, πῶλοι* pro *ἵπποι, στρουθοί* (sive ut Attici *στροῦθοι*) de de omnibus avibus, (in epigrammate in Welcker Syll. 241 etiam de Stymphalicis), sed de nulla saepius quam de grandissima, quam Graeci *στρουθιοκάμηλον*, Latini passerem marinum vocavere.

Accedit tertia translatio *ἀπὸ εἴδους εἰς εἶδος*, qua ratione schol. Plat. p. 402 *χυτρεύς* pro *κεραμεύς* positum esse dicit, Eustath. 841, 55 *ποιμήν* pro *βουκόλος* (*συνεκδοχικῶς ἢ κατὰ σύλληψιν*). Plura v. Rhemat. p. 334.

Praeter has quinque species quas grammatici discernunt, aliae translationes eodem trahi possunt, ac primum quidem nomina actionum ad locum ubi agitur translata, de quibus dictum est Parall. p. 442. Prol. ad Pathol. p. 18 not., ut *ἄροσις* pro *ἄρουρα* etc. et in sermone latino ambulatio gestatio coenatio. Deinde actio pro actore ponitur, *γένεσις* pro *γενέτης, πρόβασις* pro *πρόβατα*. Addo morbos et vitia corporis humani animalium nominibus significata, ut *ἐλέφας* elephantiasis, *ἀλώπηξ* pro genere quodam vitiliginis (*ἀλωπεκία*). cf. Paralip. p. 317. Sed haec vocabula etiam virtutes et vitia mentis significare possunt, ut *τράγος* libidinem,

οἶστρος et oestrus animi perturbationem; similiter hominem exuere dicitur pro humanitatem exuere.

Quam arcte synecdoche et cum metonymia cohaereat et cum metaphora, vel inde patet, quod Aristoteles Poet. c. 21 solam metaphoram commemorat, sed ita explicat, ut synecdochen explicare videatur: *μεταφορά ἐστιν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος.*

Ceterum hae tres figurae imprimis a Graecis *τρόποι* vocantur, quo nomine etiam interdum a schematis distinguuntur. Quae quoniam tam late patent ac tot varias species complectuntur, non indignae sunt, in quas accuratius inquiratur, quam adhuc factum est. Dixerunt de eis, ut alios taceam, Reisig in praelect. a Fr. Haasio editis § 172, Naegelsbach Latein. Stilistik (ed. 2. 1852. p. 353—400) verbose sed ut solet diversa miscens, Guenther Ueber d. deutschen Unterricht mit einer Erklärung der Tropen und Figuren 1841. Equidem hoc loco nil volui nisi eas species breviter significare et discernere, quae aut a grammaticis veteribus diserte commemorantur aut nos in lectione poetarum et scriptorum saepius quam reliquae advertunt. Exempla innumera cumulare inutile est, illa praesertim omnibus linguis communia, quibus, ut supra dixi, assidua tractatione translationis color ita detritus et detersus est, ut ipsi loquentes translatione se uti nesciant. Sed id non minus difficile explicatu est, quam explicatione dignum, quatenus et Graeca lingua in usu troporum a Latina differat, et utraque a Germanica.

Praeterea ea vocabula colligere et examinare, operae pretium fuerit, quae significationem primitivam ita prorsus abjecerint ut fere numquam admittant, contra tropicam solam retineant, velut scrutari, allicere, emere (cujus vis propria apparet in promere, demere) supplicare, defendere (proprie depellere ut patet comparato offendere) adulterare, polliceri, congruere (quorum hoc cum *συγκρούειν* cognatum esse videtur illud cum porricere *) auctio (quod ante Macrobium nemo eorum quos nunc legimus, sensu proprio usurpavit).

---

*) Hujus verbi nuper alias derivationes propositas esse non ignoro. ED.

In hac investigatione auctores, aetates, genera sermonis probe discernenda esse, per se patet. Quantopere sermo popularis tropos amet, nemo nescit. Exemplo esse potest altercatio Cleontis et Agoracriti Aristoph. Eq. 465 sqq. ubi, ut hoc solum afferam, ad unam notionem fraudes dolosque nectendi hae metaphorae cumulantur: *χαλκεύειν καττύειν συμφυσᾶν συγκροτεῖν συγκολλᾶν.*

De chatachresi.

Auct. ad Herenn. IV 33: abusio est, quae verbo simili et propinquo pro certo et proprio utitur, ut vires breves, parva statura, longum consilium, oratio magna. Quintilian VIII 6, 34: *κατάχρησις* quam recte dicimus abusionem, quae non habentibus nomen suum accommodat, quod in propinquo est, sic Equum divina Palladis arte Aedificant (Virg. Aen. II 15) et apud tragicos et jam leo pariet. Vocabulum abusus hoc sensu non est adhibitum, sed adverbio *καταχρηστικῶς* latinum abusive respondet, et usurpative apud grammaticos, sicut usurpare quoque non pro uti tantum dicitur sed etiam pro abuti.

Exempla locis citatis allata ad naturam catachreseos illustrandam minus idonea esse apparet. Nam notiones brevitatis et parvitatis, longitudinis et magnitudinis, quae saepissime invicem commutantur, inter se tam similes sunt, ut hae commutationes vix in abusionibus numerari possint.

Aedificare pro omni genere constructionis poni, ut ait Festus, nemo nescit; sed etiam haec significatio generalior in usum communem recepta est. *Λέων* jam ab Homero pro *λέαινα* feminino illo tempore nondum usurpato positum esse, veterum certe opinio fuit: v. schol. A. Il. XVII 133 (*οὐκ οἶδε γὰρ Ὅμηρος τὸ λέαινα*). Omnes generis multiformis species discernere quum et longum sit et difficillimum, nonnullas tantum hoc loco breviter indicabo.

Auctor libelli *περὶ σολοικισμοῦ* p. 199 catachresin hoc modo definit: *συλοικισμὸς περὶ τὰ γενικὰ καὶ εἰδικά.* Primum igitur etiam huic figurae tribuitur *εἶδος ἀντὶ γένους* positum, cujus abusionis exemplum ille Homericum *Ζεὺς πατὴρ ἀνδρῶν τε*

θεῶν τε affert; nam quoniam Juppiter etiam feminarum pater sit, vocabulum *ἄνδρες* totum genus humanum complecti. Apparet igitur, quae supra ad quintam synecdochae speciem relata sunt, etiam huc trahi posse, velut *βουκόλος* pro *νομεύς* (in *ἵππων ἐπιβουκόλος ἀνήρ*) cf. Rhemat. p. 334 sq. *δρῦς* pro quavis arbore, unde *δρυόκαρπα* et *ἀκρόδρυα* pro omnibus fructibus et *δρύφακτος* pro cancellis e quovis ligno fabricatis. Similiter Acro ad Horat. I 1, 58 Aufidum pro quolibet flumine nominatum esse dicit (species pro genere), et poetae nomina Zephyri Euri Cauri usurpant, ubi nequaquam de certa venti regione cogitandum est. Quintilian. X 1, 12 per abusionem, inquit, sicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocunque commiserint.

Viceversa etiam *γένος ἀντὶ εἴδους* ponitur, Aristoph. Thesmoph. 680: *γυναῖκες καὶ βροτοί* pro *ἄνδρες*, similiter Aeschin. pro Ctesiph. 434, 157: *πρεσβύτας ἀνθρώπους καὶ πρεσβυτίδας γυναῖκας*. Ejusdem generis est *πέπων* pro *σικυός*, *αὐλή* et latinum aula pro aula regali, *ὄρνις* pro gallina, *διφθέρα* pro ea membrana quae scribendo inservit. Sic etiam veteres interpretes (D.) Il. VIII 557: *ποιμὴν εἶπεν ἀντὶ τοῦ βουκόλος — κατάχρησις ὁ τρόπος*. Cf. schol. Od. X 82 Romani signa imprimis de eis imaginibus dicunt, quae zodiaco tribuuntur, unde ipsum zodiacum signiferum appellant; barbaros imprimis de Phrygibus, unde ars acu pingendi s. ars Phrygionum barbaricaria audit.

Sed utraque specie multo celebratior est tertia: *εἶδος ἀντὶ εἴδους* Ita schol. Eur. Phoenn. 675 *αἰθήρ* pro *ἀήρ* et schol. Hecub. 1746 *πόρπη* pro *βελόνη καταχρηστικῶς* usurpatum esse dicunt et schol. Acharn. 748 *ὁπλή* pro *χηλή*. Apud tragicos *ἔγχος* pro *ξίφος* non raro poni, nemo nescit; apud alios *θρίξ* et *ἔθειραι* de plumis (v. not. ad Phrynich. p. 339) *ῥύγχος* pro *ῥάμφος*; et retro capillos Pers. III 10 de pilis membranae usurpavit.

Ceterum in multis horum vocabulorum significatio primitiva incerta est, sicuti nemo facile dixerit *ποιμήν* utrum ab initio quemlibet pastorem an opilionem, *μῆλα* utrum omne pecus an oves tantum et capras significaverit.

Plura de catachresi Rhemat. p. 346 sqq.

De dissologia.

Dissologia s. diplasiologia est ejusdem vocabuli in eadem sententia iteratio, cf. schol. Eurip. Hecub. 678 (*ἄπιστ' ἄπιστα*) et schol. Plat. Phaedr. 114 (*φεῦ φεῦ*; cf. Stallbaum ad Phaed. 267). Schol. ad Eurip. Phoen. 1054 *ἀγάμεθ' ἀγάμεθ' Ὃς ἐπὶ θάνατον οἴχεται: ὁ διπλασιασμός* inquit *ὑπερβολὴν δηλοῖ* et schol. Hec. 169 (*ἔξελθ' ἔξελθ' οἴκων*) causam iterationis *πάθος* esse dicit; Rutil. I 11, 39: id quod semel dictum est, quo gravius sit, iteratur. Huc pertinet *πάνυ πάνυ* et multa similia, de quibus v. Elem. Pathol. 178 sq.

Altera hujus figurae species est, quum aut duo vocabula ejusdem stirpis componuntur aut duo ejusdem vocabuli casus, Soph. Philoctet. 135: *τί χρή με λέγειν ἐν ξένᾳ ξένον*; Anthol. VII 161: *ἐπὶ ξείνης ξένον ὄντα*; Eurip. Hec. 80: *ἥξει τι μέλος γοερὸν γοεραῖς*. Id. Jon. 587: *δειλαία δειλαίῳ γήρᾳ δουλεύω*. Id. ib. 824 *ἐν λέχεσιν μελέαν μελέοις*. Id. Bacch. 124 *λωτὸς ἱερὸς ἱερὰ παίγματα βρέμει*; ib. 1073 *ὀρθὴ δ' ἐς ὀρθὸν αἰθέρ' ἐστηρίζετο*. Pind. Nem. I 65: *Ἡρακλῆς δισσαῖς δοιοὺς δράκοντας ἔμαρψε* etc.

In his exemplis iteratio necessaria est, sed est etiam ubi vocabula bis ponantur, quamquam semel posita eundem sensum prorsus exprimerent; quod genus pleonasmi non modo poetae frequentant sed etiam prosae scriptores. Ejusmodi est par pari referre, similis simili, *ἴσοι πρὸς ἴσους* Plutarch. Pelop. c. 17 *ἴσας πρὸς ἴσας* Athen. p. 16 F. etc.; ad quae exempla prope accedit adsum praesens praesenti Plaut. Mostell. V. I, 27. Nam quem parem, similem etc. dicimus, eum apparet sine altero pari simili cogitari non posse: quodsi haec adjectiva iteramus, tautologiam admittimus.

Contra in conjunctione adjectivi cum adverbio suo utrumque significat, ut *θηροβολεῖ σμυγερὸς σμυγερῶς* Soph. Philoct. 166 *νέα τάδε νεόθεν ἦλθέ μοι νέα βαρύποτμα κακά* O. C. 1449. In his definitum ordinem servari solere monui in Parall. p. 58 (*καλὸς καλῶς, κακὸς κακῶς*) quem tamen poetae etiam sine metri emolumento migrant: nonnumquam copula interponitur *καλὰ καὶ καλῶς ὑφηναμένη* Anth. Pal.

VII 726. Ex his maxime celebratur *κακὸς κακῶς*, (Demosth. pro cor. p. 237, 180 [257 R.] de Aeschine Creontis partes in scena agente: *κακὸς κακῶς ὑποκρινόμενός*), in formulam abiit *κακὸς κακῶς ἀπολεῖται* (v. Elmsl. Med. 787). Similia etiam Romani usurparunt, v. c. miser misere periit.

Praeter has iterationes etiam adjectivorum pleonasmi memoratu digni sunt. Et primum quidem ad unum tantum substantivum pertinentia in conjunctione duorum substantivornm bis ponuntur, ut Eurip. Troad. 924 *τρισσὸν ζεῦγος τρισσῶν θεῶν*. Deinde substantivis non raro epitheta ejusdem significationis sed diversae formae adiciuntur, ut *ἡ τεκοῦσα μήτηρ* Eurip. Phoen. 1277; *ὁ φιτύσας πατήρ* Trach. 311, cujus abundantiae exempla composita sunt ad Ajac. 1296.

Nomina commilitonum

qui

quaestiones superiore anno propositas ita tractarunt ut praemia mererent.

Facultas Theologorum

Joanni Richter praemium attribuit primarium, secundario auctum.

Facultas Jurisconsultorum

Nullum invenit praemii competitorem.

Facultas Medicorum

Maximiliano Perls praemium adjudicavit primarium duplicatum secundario auctum.

Facultas Philosophorum

Caroli Gustavi Hermanni Kalt dissertationem archaeologicam praemio primario dignam censuit, eodemque duplicato astronomicam dissertationem Friderici Tischler.